

## Annotatio.

Hæc, & similia Exempla possunt etiam solvi per duplicem operationem in Regula simplici factam, si in EXEMPLO I. dicatur:  
4 dant 20; quid dant 12? Faciunt 60.

Deinde,

15 dant 60; quid dant 12? Faciunt 144.

Hic quoniam quinque interveniunt numeri, ideo aliqui vocant hunc modum operandi Regulam Quinque.

Modum hunc operandi, seu praxin Regula Trium Compositæ Directæ exprimit sequens versus:

Quæsitam repetita dabit bis Regula summam.

## §. VI.

## Regula Proportionum Composita Inversa.

Regula proportionum  
composita  
inversa.

Sicut Regula Proportionum Directa simplex differt à Directa composita, quòd hæc præter terminos principales habet adjunctos alios minùs principales; ita & Inversa simplex ab Inversa composita in hoc differt, quòd hæc etiam præter principales habet adjunctos alios minùs principales, qui ad illos reduci debent, sed per crucem, uti in exemplis patebit.

Melius tamen ac facilius est, in hujusmodi exemplis duas instituere operationes Regulæ simplicis, alteram inversam, alteram directam, eo modo quo in exemplis iisdem patebit, quæ utroque modo solvere placet.

## EXEMPLUM I.

Aurei 600 lucrantur florenos 800, annis 10; quæritur, in quot annis aurei 300 lucrantur simili modo florenos 1200.

## Solutio per primum Modum.

Colloca numeros ut sequitur, ita ut qui quæstionem annexam habent, ponantur tertio loco; qui illis homonymi sunt, primo; reliquus in medio.

Aurei